MASTER NEGATIVE NO. 92-80533-2

AUTHOR:

BRIX, JULIUS

TITLE:

EPISTULA AD ANDREAM SPENGELIUM

PLACE:

LIEGNITZ

DATE:

1868

Master Negative #

92-80533-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Brix, Julius, 1815-1887

...Epistula ad Andream Spengelium. Liegnitz, Krumbhaar, 1868.

15 p. 24 cm.

Staedtisches Evangelischen gymnasium zu Liegnitz, Jahresbericht.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m REDUCTION RATIO: 12X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/6/92 INITIALS RD

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

STAEDTISCHES

EVANGELISCHES GYMNASIUM

ZU

LIEGNITZ.

Jahresbericht

womit

zu den öffentlichen Prüfungen und zu der Entlassung der Abiturienten

ehrerbietigst einladet

Dr. Carl Eduard Güthling,

Director des Gymnasiums.

INHALT:

Schul-Nachrichten. Vom **Director.**

Vorher: *Jul. Brevii Epistula ad Andream Spengelium*

LIEGNITZ.

Druck von H. Krumbhaar.

1868.

ANDREAE SPENGELIO S. P. D.

JULIUS BRIX.

Nuper quum gravissimo casu domestico afflictus vix ex magno dolore ac luctu emergerem, ecce peropportune allatae mihi sunt *Lectiones Plautinae* Tuae, quibus et editum mox iri abs Te Truculentum promittis et interim aliquot eius fabulae proponis emendationes. Ut autem Tuum libellum non sine oblectatione animi et solacio perlustravi, ita pridem me ipsum quoque in emendanda Truculento elaboravisse admonebar: qua re quae ego olim invenissem partim cum Tuis conspirántia partim ab eis discrepantia partim etiam abs Te praetermissa, ea Tecum communicare, si qui Tibi eorum usus esse videretur, eo magis meum esse duxi, ut et aliorum studia meo exemplo ad Tuam editionem adiuvandam excitarem et Tibi ipsi aliquo modo gratiam referrem.

Itaque et I 2, 69 et I 2, 71 recte *tam* redduxisti, quem ad modum ego pridem Schneideriano Decurtati exemplo ductus feceram. Tum I 1, 30 mecum correxisti *ita est amica in aedibus lenoniis*, ad quam emendationem stabiliendam illud plurimum valet, quod nisi *amicae* mentio praecesserit, *parat* quod sequitur non habebit quo referatur. Etiam II 4, 72 Tecum *quin* delevi et II 6, 59 *Attuli et tus Ponto amoenum* scripsi. Ex parte Tecum mihi convenit de III 1, 19 sqq. et II 6, 52 sq., de quibus locis dicam in quo abs Te discedendum videatur. Illo enim loco, quem sic restitui iubes:

A. *Quid istuc? alienun es, amabo, mi Strabax,*
Qui non extemplo introeas? St. *Anne oportuit?*
A. *Ita te quidem, qui's familiaris.* St. *Ibitur.*

alienun es pro *alienum est* quae est librorum scriptura ego quoque scribendum ratus postea iam pridem a Lambino *alienus es* occupatum esse vidi. Sed in ceteris omnibus abs Te dissentio, maxime autem in eo, quod Strabacis personam v. 20 induxisti. Quum enim *introeas*, quod Tu posuisti, in libris non sit, *intres* autem, quod alii posuerunt, plane a Plautino usu abhorreat, ad BC librorum scripturam *iresi* id est *ieris* (ut I 1, 8 pro *damna*, quod ego recte rescripsisse videor,

litteris eodem modo perverse transpositis in libris *manda* est) sententia ipsa monente *intro* addendum et omnia quae sequuntur Astaphio cum libris tribuenda videntur, ut totus locus sic scribatur:

A. *Quid istuc? alienun es, amabo, mi Strabax,*
Qui non extemplo intro ieris? anne oportuit
Ita te quidem, qni es familiaris? St. *Ibitur.*

Recte autem utitur ancilla perfectis *ieris* et *oportuit*, quia Strabax aliquamdiu exspectaverat, dum quis ostium aperiret. Simulat igitur aegre se ferre, non quod non intro *eat*, sed quod non statim intro *ierit* negatque *oportuisse* ita ab eo fieri. Alter autem locus, de quo partim abs Te dissentio, erat II 6, 52 quem Gep. ita constituit:

Poénitetne té, quot mi ancillaé sient,
Quín etiam insupér tu adducas, quaé mihi comedínt cibum?

Qua quidem ratione locus non persanatus videbatur, sed quam Tu emendationem adhibuisti in Tuo libro bonae rei pleno „T. M. Plautus. Kritik etc. 1865“ *Poenitetne te, quot ancillas alam*, eam ego ante Te proposui in adnotatione ad Trin. versum 321. Tum rectissime et *quin* damnas et *qui* ex more Plautino requiris, verum quod ipse reponis:

Qui étiam alienas súperadducas, quaé mihi comedínt cibum?

id mihi non solum propter proceleusmaticum in primo pede haerentem improbatur (nam ut Plautum non nimium proceleusmatici osorem fuisse mihi quidem certum est, ita emendationem eo pede non sane commendari arbitror), sed etiam propter ipsum vocabulum *alienas* minus placet, quod neque ex vestigiis librorum, qui *men* pro eo habent, probabiliter erui potest, et supervacaneum esse videtur, si quidem obiecti loco sunt quae sequuntur: *quae mihi comedint cibum.* Quamobrem ex *quin* ego facio *qui mi*, ex *men* autem *nunc*, quo facto haec evadit scriptura: Quí mi etiam nunc súperadducas etc., nisi forte propter pronomen *mihi* invenuste repetitum rescribendum est: *Quí nunc etiam súperadducas* etc.

Deinde sanare conatus es I 1, 11:

Ob eam tres noctes dantur; interea loci
Aut aera aut vinum aut oleum aut triticum
Temptat, benignusne an bonae frugi sies.

Horum versuum alterum quum omnes mutilum esse consentiant, Tibi hoc supplementum placuit: aut *aurum* aut aera aut vinum etc., sed ne id urgeam, parum veri simile videri, quod inter res minutas, quas amica *interea loci* per occasionem ab amatore petat, etiam *aurum*, quod pretiosius est, enumeretur, illud me male habet, quod ista ratione admissa a verbo *temptat* non solum obiecta quae praecedunt, apta sunt, sed etiam interrogativa quae sequitur enuntiatio, quod mihi quidem cum simplicitate Plautina parum convenire videtur. Accedit quod apud Plautum, si recte memini, *temptare* non aliter dicitur nisi *aliquem* aut *sitne aliquid*, accusativus rei (ut *temptare oppidum, portum*

animos tritum est Livio) nondum additur. Quare veri similius — nam verum in tali re quis reperire se posse spondeat aut confidat? — videtur petendi verbum intercidisse et hanc pristinam eius versus fuisse speciem: Aut *órat* aera aut vínum aut oleum aut tríticum: similis autem verborum collocatio est v. 32 Ant périit aurum, aút conscissa pállulast, ubi hiatus temptandus non esse videtur.

Tum II 2, 1 sq. sic dedisti:

Str. *Quís illic est qui tám proterve nóstras aedis árietat?*
Ast. *Ego sum: respice ád me.* Str. *Quid „ego“?* Ast *Nón vides?* St. *Video: ém tibi!*

A librum optimum secutus, qui postrema haec habet: *quid ego novi te video tibi.* Ut autem sine dubio sanum emendandi initium cepisti, quum ab Amphitr. IV 2, 1 proficiscebaris, ita immissum *em* vereor, ut verum esse possit. Nam quamquam *em tibi* verberantis esse recte dixisti, tamen, si libero iudicio totum locum denuo perlustraveris, facile opinor concedes nec verberari ancillam a servo truculento neque cum eius modi saevitia proximos qui copulantur sermones ullo modo convenire. Neque vero hoc loco, sed post quattuor versus interpositos Astaphium precatur ab eo, ut iram suam comprimat. Est autem non exitus solum versus corruptus, sed etiam initium, si quid video. Postquam enim Stratilax pultantis nomen quaesivit, quum Astaphium respondisset *ego sum*, non potest continuo addere *respice ad me*, quod tum demum sensum habeat, si quis foris aperiens vocem pultantis non cognoscat, ut adspectu opus sit. Hinc certum videtur prima versus verba in omnibus libris, etiam in A male transposita esse legendumque ad exemplum versus ex Amphitruone abs Te adhibiti: Ast. *Ego sum.* Str. *Quis ego?* Ast. *Réspice ad me.* Verum quod vitium priorem versus partem occupavit, idem ad alteram pertinuit, nam ibi quoque in A perversus est verborum ordo, sic, ut videtur, restituendus: Str. *Video: novi: té tibi*, ubi si pro *te*, quae una vox corruptelam passa est, posueris *vae* (*ve* plerumque in libris scribitur), quo ipsa sententia ducit, omnia habebis integra et perspicua.

In eiusdem scenae versu 7, ubi Gep. ex A scripsit:

Ast. *Cómprime sis eiram eam, qui te hercle.* Str. *Tu, quae solita es, comprimas,*

recte Tu *quidem* pro *qui te*, quod sine sensu est, correxisti et verba *eam quidem hercle tu quae solita's comprimas* servo truculento dedisti, sed quod *istam* pro *sis* et *Eram* pro *Eam* scripsisti probare non possum. Nam quod lusum verborum flagitare dicis, ut utrumque verbum pronuntietur, eius rei idoneam causam desidero; ratio enim ioci in eo ipso versatur, ut servus *eiram* vocem perperam interpretatus *eram* audire sibi videatur, qua re si *eam* dicit nemo non *eram* intellegit. Postremo quod tertio abhinc versu scripsisti:

Eiram dixi: tu secepsti: dempsisti unam litteram

pro *ut secepisti*, id quidem probabilitatem habet, necessitatem non habet. Nam si *secipere* (quo de verbo a lexicographis neglecto neque Geppertum neque Te ipsum dixisse quidquam miror), ut videtur, non solum propria vi est **bei Seite nehmen, wegnehmen**, sed etiam, quia id in hunc locum parum

convenire apparet, ea vi dicitur ut sit mißverstehen, verdrehen, nulla mutatione opus esse arbitror, ut sic intellegamus: nach dem, wie Du meine Worte verdreht hast, mußt Du einen Buchstaben gestrichen haben. Ceterum qui versus praecedit:

Impudens, quae perridiculum rustico suades stuprum

in eo quum *perridiculum stuprum* coniungi soleat, malim ego *per ridiculum* (i. e. per ludibrium) *suades* intellegere, quem ad modum Cic. offic. I 37, 134 *per ridiculum dicere* et Plautus ipse Pseud. 1058 *per deridiculum verba dare* dixit, cf. *deridiculi gratia* Amph. 682.

Tum II 7, 56 coniecturam Tuam, qua *habebo* pro *habeo* scribis, etsi lenissima est optimeque succurrit labantibus numeris, reicere non dubito, quia nullus ibi futuro tempori locus esse videtur. Equidem si in tam ancipiti re quidpiam proponere fas est, sic fere hunc cum eo qui praecedit versu a poeta proficisci potuisse putaverim:

Si aéquom facias, ádventores meós non inconcílies, quorum
Míhi dona accepta ét grata habeo túaque ingrata quae ábs te accepi.

Denique versum II 8, 9 non persuadeo mihi talem Plauto deberi:

Num quidpiam aurum mutat mores mulierum?

quoniam quam Tu subiecisti interpretationem: „nonne mores mulierum auro celerrime mutantur?" ei repugnat propria vis particulae *num*, secundum quam hanc potius sententiam Tua scriptura habet: *nihil mulierum mores auro mutantur*, quae sententia ab hoc loco alienissima est. Ego vero ex *avarum*, quod in libris circumfertur, non *aurum* sed *harum* efficio, ut non de omnibus mulieribus conqueratur miles, sed de his, qualis erat Phronesium, i. e. de meretricibus. Harum igitur mores nulla re, ne puerperio quidem, mutari dicit, sed semper eundem eas animum i. e. avaritiam et superbiam retinere.

Praeter haec autem, de quibus dissensum meum significavi, fere in omnibus, quae Tuis *Plautinis lectionibus* continentur, Tibi assentior et ita assentior, ut nonnullas Tuas emendationes praeclaras et omni dubitatione exemtas dicere non dubitem, velut quum I 1, 82 persanasti: *ut exspectatus |Peregre advenisti! Di. Num, obsecro, cupiebat me era videre?* aut quum II 4, 54 sq. sic emaculasti: *tonstricem Suram| Novistin nostram, nostras quae erga aedis habet?* Palmario vero invento restituisti versum graviter corruptum II 6, 27: *Iam magnust? iam eit ad legionem? quae iam spolia rettulit?* Sed reliqua ex Tua scriptione ipsi petant, quibus harum rerum cura est.

Nunc breviter ea subiciam, quae ego ad emendandam Truculentum conferre posse videor.

Post v. 9: *Quid périerandumst étiam praeter múnera —*

unus versiculus intercidisse videtur. Nam quum *munerum* notio tamquam secundaria quaedam inferatur et tamen in sequentibus munera singillatim percenseantur, versu aliquo interposito velut hac specie: *quae súnt mittenda amícae, ne óccludát foris* eam notionem efferri et enumerationem praeparari oportebat. Nisi autem *amicae* mentio praecesserit, nihil habet *temptat* v. 13 quo referatur.

v. 51 *Quas quídem quam ad rem dícam in argentáriis —*

metrum levi corruptela pessumdatur, quam quum Goellerus transponendo *quam quidem*, Ritschelius quam*nam* scribendo removere conati sint, et lenius et probabilius ego *equidem quam* corrigi puto.

Etiam ante v. 54 *Postremo in magno populo* quaedam interciderint necesse est. Nam quum in praecedentibus de nimia scortorum et lenonum multitudine, deinde de scortis circum argentarias desidentibus Diniarchus verba fecerit, nullo modo subito nulloque sententiae vinculo adhibito subnecti potuit: „*Postremo in magno populo . . . amare oportet omnes qui quod dent habent.*" Aut prorsus animus me fallit aut in versibus deperditis Diniarchus a lenonum scortis ad meretrices liberas et in suum commodum quaestum exercentes (nam in eo numero est Phronesium, de qua nunc Diniarchus dicturus est) transitum cum fecisset, excusationes persecutus est, quibus usi adulescentes amoribus indulgerent, quarum excusationum postremam his verbis complectitur: *Postremo in magno populo* etc. Tum etiam post v. 57 *Amare oportet omnes qui quod dent habent* periisse versiculum puto, quo Diniarchus ad se ipsum orationem conferret, alioquin enim vix recte subici poterat, quod sequitur: *Nam mihi istaec meretrix* ctt.

I 2, 42 *Nam advórsum legem a me ób meam scriptúram pecudem accépit.*

Interpretum nemo *ob* particulae vim explicavit, unus qui ad emendandam orationem aggressus est Geppertus parum veri similiter *et* eius loco posuisse videtur. Mihi quum haec Diniarchi mens fuisse videatur, ut non solum scripturam sed etiam pecudem a se cepisse Phronesium quereretur, *ad meam scripturam* necessario requiri videtur. Pertinet autem huc locus Varronis de R. R. II 1 p. 161 Bip. „ad publicanum profitentur, ne, si inscriptum pecus paverint, *lege censoria committant*" (sc. pecus i. e. das Vieh verwirken), unde intellegitur, qui pecus suum apud publicanum non essent professi (profitentes autem certum aes sive scripturam solvebant), eos commisisse pecus. Jam hoc dicit Diniarchus: illa, non ego habuit publicum, nam a me scripturam accepit, sed simul advorsum legem *ad* meam scripturam meam pecudem *cepit:* nam *cepit*, quod pridem ex Charisio notum nuper A confirmavit, non *accepit*, quod est in Pall., sententiae satisfacit Cum autem Diniarchus dicat: „illa, haud *ego* habuit publicum, pervorse interpretaris," Diniarchum ipsum rem publicam habuisse in praecedentibus dictum sit necesse est, sed quam ex A libro nuper scripturam dedit Geppertus:

An tú bene reris públicum aut amóres alia lége
Habére posse póstulas, quin ótiosus fías?

in ea neque illud inest, quod inesse oportere ex proximis luculentissime apparet, et alia quaedam magnam movent suspicionem. Quare quum in B legatur *tute bene res publicum*, in A quoque olim fuisse puto *an tu bene te res publicum* (utriusque libri scriptura ut nulla re differat nisi *te* voce transposita), ubi *res publicum* corruptum videtur ex *rem publicam*, quem ad modum habet C teste Schneidero. Usitate autem *postulare* etiam si idem subiectum servatur cum accus. et infin. iungitur, cf. Cas. I 53. Capt. 717—719. 739. Pseud. 101. 853. Rud. 543 et Holtze Synt. I. p. 254 sq.

Diu autem est, quum Becker de com. Rom. fab. p. 74 *tute*, quod pro simplici *tu* positum esse perperam putabatur, disiungi iussit. Ceterum unde Gep. *amores* sumpserit, cum *amoris* et in C et in omnibus editionibus circumferatur, mihi non liquet.

I 2, 52 *Procáciores éstis vos, sed illí periuriosi.*

Periuriosi etsi in omnibus libris legitur, tamen et comparationis ratio et constans loquendi usus, a quo praeter Tacitum neminem bonum scriptorem recessisse novimus, requirit *periuriores*, quare vocabulum *periuriosus*, quod praeter hunc locum nusquam legi videtur, vereor ne eiciendum sit ex lexicis. Versu 54 leve est, quod ex *etbibitis* non cum Gep. *id ebibitis* neque cum vett. editt. *ebibitis*, sed antiquiore forma *ecbibitis* refingendum est, quod Trin. 250 quoque (ubi Non. itidem *etbibit* habet) restitutum velim. Ut Pers. 638 libri Pall. praebent *etflavit*, unus A *ecflavit*, et vulgari errore *etquid* pro *ecquid* in libris scriptum est. Versu 56 autem sic scribendum videtur: *Male quae ín nos illosque, ómnia tibi dícis, Diniárche,* malo enim *ea*, quod in libris post *omnia* est, delere quam cum Ritsch. *male.*

I 2, 59 *Tu a nóbis sapiens níl habes: nos néquam abs tete habémus.*

tete Gep. de suo dedit pro *te*, mihi *rem* potius vocula interiisse videtur, ut fuerit: *nos nequam rem abs te habemus*, aegre enim obiectum h. l. desideratur, *tete* autem ab hoc loco alienum est.

I 2, 72 *Non hercle occide sunt mihi etiam fundi et aedes.*

Sic BC haec exhibent mutila, quae alii aliter supplere conati sunt. Ego hanc rationem instituti: *non hércle ego omnino óccidi: sunt mi étiam fundi et aédes*, cf. Capt. 616 nunc ego omnino occidi, Asin. 233 non omnino iam perii. Ut h. l *ego omnino* in omnibus libris omissum est, ita infra v. 86 in Pall. periit, quod unus A servavit *utut aliis* et 104 A itidem solus praebet *quidem*, cuius defectu versus ruebat.

I 2, 87 sic lego: Din. *Valétne?* Ast. *Immo edepol mélius iam fore spéro te ubi vidébit.*

I 2, 90 dubitanter propono: *Verum ésse insciti crédimus, utut aéstuamns íra.*

II 1 recte nuper Gep. in principio scenae duos bacchiacos agnovit (nisi quod in priore a librorum scriptura non recte recessit), sed etiam quae praecedunt verba iustum bacchiacum efficiunt:

Hahahé! nunc requiévi, quia íntro abiit ódium

nam in *ercle quievi* quod libri habent vix aliud latere potest quam *nunc requievi*, quod autem in uno A post *odium* additur *meum*, id sine dubio glossatoris est. Item I 2, 27 et 28 bacchiaci sunt integerrimi:

Bene dícis benígneque. heus, 'Astaphium, amábo.
Ast. *Sine me íre, era quo iússit.* Din. *Eas. séd quid ais?* Ast. *Quíd vis?*

ubi Gep. longe ab librorum scriptura abiit, ut iam hinc iambicos inferret. Contra IV 2, 8 bacchiacis iambicus interpositus est talis: Quis est íste? eia, Astaphium, indica, qui perit. Ast. Amabo, hicine tu eras?

II 1, 20 et qui sequuntur hoc ordine ponendos esse statuo:

20. Néque umquam erit probus quísquam amator, nísi qui rei inimicúst suae:
25. Próbust amator, quí relictis rébus rem perdít suam.
23. Núgae sunt, nisi módo quom dederit dáre iam lubeat dénuo.
24. 'Is hic amatur ápud nos, qui quod dédit id oblitúst datum.
21. Dúm habet, tum amet: úbi nil habeat, álium quaestum coépiat:
22. 'Aequo animo, ipse sí nil habeat, áliis qui habent dét locum.
At nós male ett.

Sententiarum nexum habes simplicissimum. Postquam quis non sit probus amator monuit, Astaphium describit quis eo nomine dignus sit. Tum exponit quid eum amatorem deceat qui habeat quod det, postremo quid eum, qui dando ad inopiam redactus sit. Ab hoc ordine quum A teste Gepperto ita recedit, ut numeris ad marginem versuum additis significavi, sine dubio corruptela laborat. Nam repugnat rationi, primum de eo amatore dici, qui nihil habeat quod det, deinde de eo, qui habeat facileque intellegitur contrario ordine rem fuisse instituendam. Denique quem ego secundo loco posui, is versus non solum in A sed in omnibus libris est vigesimus quintus, quo loco me quidem iudice nullo modo stare potest.

II 1, 30 sq. *Nam quándo sterilis ést amator á datis,*
Si négat habere quód det, soli crédimus.

Hic, si quid video, repugnat sententiae *soli*, pro quo aut *solae* aut *solae ei* scribendum videtur. Etenim ludens ancilla ambigua verborum significatione ut antea numquam meretrices *satis accipere* ab amatore dixit, ita pergit *solas* se amatori credere, si ad inopiam redactus nil se habere quod det dixerit, in quo verborum lusu *credere* et putandi vim habet et idem est quod nostrum crebitieren.

II 1, 34. *Qui dé thensauris íntegris demum óggerunt,*

dèmum etsi ex A recepit Gep. (nam Pall. habent *demus*), tamen vix huius loci esse videtur. Exspectamus aut *dona* aut *dempta*, ne *oggerunt* verbum obiecto careat.

II 2, 16. *Quia tibi suaso infecisti, propudiosa, pallulam,*
An eo bella es? Qui accepisti narium vesanias?

Sic haec Gep. dedit, ex quibus vix quisquam sanum sensum extricaverit. Quum autem Fest. p. 302 M. tradat fuisse qui *insuaso* legerent et BC *resuasu* praebeant, olim in libris Plautinis *ne suaso* lectum, *ne* autem male cum *tibi* coniunctum esse videtur, quum pristinus verborum ordo esset *Quiane tibi suaso.* Hinc repono:

Quíane tibi suaso ínfecisti, própudiosa, pállulam,
'An eo bella's, quía cepisti nárium vesánias?

i. e. Eone bella es, quia suaso pallam infecisti, an eo quia tam foetidos odores cepisti, ut nares ferre nequeant? — Legitur autem *quiane* Mostell. V 2,11. Pers. V 2,69.

II 2,47. *'Ego nunc non novi ádulescentem vóstrum —*

Sic Gep. libros secutus, nisi quod in eis *non* ante *novi* excidit vulgari errore; sed *nunc* non potest verum esse, fuit olim *istunc* i. e. is quem *tu* mihi narras, cf. v. 30 nullan mulier *istic* habitat? ubi *istic* intellegitur in tuis aedibus. Saepe autem *istic* in libris depravatum deprehenditur, velut Poen. V 5,29 Quid tibi *hanc* digito tactiost? eo magis *istanc* commendatur, quia v. 27 legitur: quid tibi negotist autem cum *istac?* Pers. I 1,13 Tex. Quis illic est qui contra me astat? Sag. Quis *hic* est, qui contra me astat? non *hic quis est* cum Ritsch. transponendum est sed sine verborum transpositione *istic* revocandum. Truc. IV 1,6 *istoc* pro *hoc* recte Gep. post Bothium scripsit, Truc. IV 2,14 in exitu troch. octonarii lege *novistin tu istunc Strabacem* pro *hunc*, item corrige V 44 Nunc si *istanc* tecum esse speras pro *hanc* coll. verss. 46. 52.

II 3,3 prava est, quae in editionibus regnat interpunctio haec:

Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant,
Omnes amantes balneatores sient.

Sic potius comma transponendum est: *si proinde amentur, mulieres* ctt., ut verbi *amentur* subiectum sit *amantes*, non *mulieres*. Nam cum Diniarchus ad paupertatem redactus a Phronesio spernatur, non id aegre fert, quod meretrices non satis diu amentur, sed amatores quam diutissime amari vult. Igitur amantium, non mulierum commodis eum servire consentaneum est. Hinc queritur Stratophanes miles: *non amor* V 20.

II 7,74. *Non audes aliquod dare mihi munusculum?*

Sic vulgo non incommode, sed cum B habeat *aliquid* et *munuscivilium*, C *aliquod* et *munuscivilium*, quis non videat olim scriptum fuisse *aliquid — munusculi?* Similiter emendandus est versus Most. 478 *Quis istuc scelus est aut quis id fecit? cedo.* Nam cum in libris sit *est sceleste*, non *scelus est* potius corrigendum quam *quid istúc est sceleris* revocandum erat, quemadmodum dixit Ter. Eun. 326 *quid hoc est sceleris?*

II 4,78 Ph. *Sic facito.* Sin. *Quicquid autem erit, boni consulas.*

Sic vulgo scribitur, nec inepte, verum cum BC exhibeant *aituierit* pro *autem erit*, propius a librorum fide abesse videmur, si reponimus *attulerit:* de *servo* autem proxime erat dictum.

II 5,28. *Dáte aquam manibus. nunc ecastor ut veniat miles velim.*

Sic Gep. librorum BC secutus scripturam leviter corruptam hance: *ecastorum veniret miles velim;* Sed quo exemplo Plautus dixit Pseud. 1061 *nunc ego Simonem mi obviam veniat velim*, Cas. III 2,29 *nunc ego illum nihili, decrepitum, meum virum veniat velim*, Poen. V 5,9 *sed mea amica nunc mi irato obviam veniat velim*, Most. 1074 adgrediar hominem: appellabo. Th. nunc *ego ille*

huc veniat velim, eodem exemplo hoc loco magna est suspicio scripsisse poetam *militem veniat velim*, quoniam *miles ut veniat velim* minus probabile est.

II 6,3.5. *Scio ego multos memoravisse milites mendacium,*
Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.

Medius qui his interponitur versus, cuius in libris Pall. haec species est:

Et homeronidam et post illam illi memorari potest

eum editores emendare conati vereor ne in panno a Plauto alieno desudaverint adiecto ab eo qui Homeri auctoritate Stratophanis dictum confirmare vellet. Nec qui sequuntur versus:

Non laudandus est, quoi credit qui audit plus quam qui videt
Non placet, quem (cum libri*) illi plus laudant qui audiunt quam qui vident.*

simul stare possunt ac vix potest dubitari, quin prior delendus sit, quippe quo alterius sententia satis imperite varietur et amplificetur.

II 6,26. Str. *Méus est, scio iam de árgumentis.* Ast. *Nímium quidem similíst.* Str. *Papae.* Gep. *nimis quidem* correxit propter proceleusmaticum *nimium quidem*, sed cum in BC non *quidem* sed *quidui* legatur, id ita interpretor, ut scriba archetypi *qui* ex errore scriptum non deleverit, sed quasi re integra *dui* i. e. *tui* adnexuerit. Egregie autem *nimium tui similist* et sententiae et numeris satisfacit.

Ut mittam deinde locum difficilem ac scopulosum cantici proximi, extremae scenae pauca tractabo.

II 7,68. *Quíd nunc ergo hic ódiose es, conféssus omnibús reus?*

Sic Gronoviana editio, nec oratione latina nec numeris Plautinis. Rescribo verbis transpositis et obscura voce *omnibus* emendata:

Quíd nunc ergo hic és odiossus nóbis, confessús reus?

odiossus (nam B odiesse) ut otiossus Trin. 1077, radiossus Stich. 365, squamossus Men. 919. Neque hunc versum quae excipiunt integra esse videntur:

Str. *Périi hercle hodie, nísi hunc a te abigo.*

quae quum Getae dicta esse ex proximis appareat: „accede modo huc, adi huc modo", nec *hunc* nec *ate* (quod ipsum tam rarum est pro *abs te* ut suspicionem paene moveat corruptelae) ferri posse existimo. Hoc potius ratio requirit: Perii hercle, hodie *nisi te hinc* abigo i. e. miserrimus sum mortalium, nisi te hodie a Phronesio possum abigere.

II 8,5. *Quo pacto? excludis? quaeso, potin est planius,*
Quam exclusus nunc sum?

Balbutientis est talis oratio minutatim concisa, quae quo pacto tam diu ferri potuerit, non immerito quis miretur. BC praebent: *quo pacto excludis? quameso potius planius*, nisi quod *pitius* in C est. Unde concinnam orationem sic recupero:

i. e. Eone bella es, quia suaso pallam infecisti, an eo quia tam foetidos odores cepisti, ut nares ferre nequeant? — Legitur autem *quiane* Mostell. V 2,11. Pers. V 2,69.

II 2,47. *'Ego nunc non novi ádulescentem vóstrum —*

Sic Gep. libros secutus, nisi quod in eis *non* ante *novi* excidit vulgari errore; sed *nunc* non potest verum esse, fuit olim *istunc* i. e. is quem *tu* mihi narras, cf. v. 30 nullan mulier *istic* habitat? ubi *istic* intellegitur in tuis aedibus. Saepe autem *istic* in libris depravatum deprehenditur, velut Poen. V 5,29 Quid tibi *hanc* digito tactiost? eo magis *istanc* commendatur, quia v. 27 legitur: quid tibi negotist autem cum *istac?* Pers. I 1,13 Tex. Quis illic est qui contra me astat? Sag. Quis *hic* est, qui contra me astat? non *hic quis est* cum Ritsch. transponendum est sed sine verborum transpositione *istic* revocandum. Truc. IV 1,6 *istoc* pro *hoc* recte Gep. post Bothium scripsit, Truc. IV 2,14 in exitu troch. octonarii lege *novistin tu istunc Strabacem* pro *hunc*, item corrige V 44 Nunc si *istanc* tecum esse speras pro *hanc* coll. verss. 46. 52.

II 3,3 prava est, quae in editionibus regnat interpunctio haec:

Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant,
Omnes amantes balneatores sient.

Sic potius comma transponendum est: *si proinde amentur, mulieres* ctt., ut verbi *amentur* subiectum sit *amantes*, non *mulieres*. Nam cum Diniarchus ad paupertatem redactus a Phronesio spernatur, non id aegre fert, quod meretrices non satis diu amentur, sed amatores quam diutissime amari vult. Igitur amantium, non mulierum commodis eum servire consentaneum est. Hinc queritur Stratophanes miles: *non amor* V 20.

II 7,74. *Non audes aliquod dare mihi munusculum?*

Sic vulgo non incommode, sed cum B habeat *aliquid* et *munuscivilium*, C *aliquod* et *munuscivilium*, quis non videat olim scriptum fuisse *aliquid — munusculi?* Similiter emendandus est versus Most. 478 *Quis istuc scelus est aut quis id fecit? cedo.* Nam cum in libris sit *est sceleste*, non *scelus est* potius corrigendum quam *quid istúc est sceleris* revocandum erat, quemadmodum dixit Ter. Eun. 326 *quid hoc est sceleris?*

II 4,78 Ph. *Sic facito.* Sin. *Quicquid autem erit, boni consulas.*

Sic vulgo scribitur, nec inepte, verum cum BC exhibeant *aituierit* pro *autem erit*, propius a librorum fide abesse videmur, si reponimus *attulerit:* de *servo* autem proxime erat dictum.

II 5,28. *Dáte aquam manibus. nunc ecastor ut veniat miles velim.*

Sic Gep. librorum BC secutus scripturam leviter corruptam hance: *ecastorum veniret miles velim;* Sed quo exemplo Plautus dixit Pseud. 1061 *nunc ego Simonem mi obviam veniat velim*, Cas. III 2,29 *nunc ego illum nihili, decrepitum, meum virum veniat velim*, Poen. V 5,9 *sed mea amica nunc mi irato obviam veniat velim*, Most. 1074 adgrediar hominem: appellabo. Th. nunc *ego ille*

huc veniat velim, eodem exemplo hoc loco magna est suspicio scripsisse poetam *militem veniat velim*, quoniam *miles ut veniat velim* minus probabile est.

II 6,3.5. *Scio ego multos memoravisse milites mendacium,*
Qui et convicti et condemnati falsis de pugnis sient.

Medius qui his interponitur versus, cuius in libris Pall. haec species est:

Et homeronidam et post illam illi memorari potest

eum editores emendare conati vereor ne in panno a Plauto alieno desudaverint adiecto ab eo qui Homeri auctoritate Stratophanis dictum confirmare vellet. Nec qui sequuntur versus:

Non laudandus est, quoi credit qui audit plus quam qui videt
Non placet, quem (cum libri*) illi plus laudant qui audiunt quam qui vident.*

simul stare possunt ac vix potest dubitari, quin prior delendus sit, quippe quo alterius sententia satis imperite varietur et amplificetur.

II 6,26. Str. *Méus est, scio iam de árgumentis.* Ast. *Nímium quidem similíst.* Str. *Papae.* Gep. *nimis quidem* correxit propter proceleusmaticum *nimium quidem*, sed cum in BC non *quidem* sed *quidui* legatur, id ita interpretor, ut scriba archetypi *qui* ex errore scriptum non deleverit, sed quasi re integra *dui* i. e. *tui* adnexuerit. Egregie autem *nimium tui similist* et sententiae et numeris satisfacit.

Ut mittam deinde locum difficilem ac scopulosum cantici proximi, extremae scenae pauca tractabo.

II 7,68. *Quíd nunc ergo hic ódiose es, conféssus omnibús reus?*

Sic Gronoviana editio, nec oratione latina nec numeris Plautinis. Rescribo verbis transpositis et obscura voce *omnibus* emendata:

Quíd nunc ergo hic és odiossus nóbis, confessús reus?

odiossus (nam B odiesse) ut otiossus Trin. 1077, radiossus Stich. 365, squamossus Men. 919. Neque hunc versum quae excipiunt integra esse videntur:

Str. *Périi hercle hodie, nísi hunc a te abigo.*

quae quum Getae dicta esse ex proximis appareat: „accede modo huc, adi huc modo", nec *hunc* nec *ate* (quod ipsum tam rarum est pro *abs te* ut suspicionem paene moveat corruptelae) ferri posse existimo. Hoc potius ratio requirit: Perii hercle, hodie *nisi te hinc* abigo i. e. miserrimus sum mortalium, nisi te hodie a Phronesio possum abigere.

II 8,5. *Quo pacto? excludis? quaeso, potin est planius,*
Quam exclusus nunc sum?

Balbutientis est talis oratio minutatim concisa, quae quo pacto tam diu ferri potuerit, non immerito quis miretur. BC praebent: *quo pacto excludis? quameso potius planius*, nisi quod *pitius* in C est. Unde concinnam orationem sic recupero:

Quo pacto excludi quisquam potis est planius
Quam exclusus nunc sum?

II 8, 11. *Nunc quasi mihi dicat: nec te iubeo nec veto*
Introire in aedis. at ego nolo: non eo.

Sic Both. et Gep., nisi quod hic *quasi cum* pro *nunc quasi* dedit. Haec quomodo sint intellegenda, nec quisquam expedivit interpretum neque mihi liquet. Suspicor autem vitiosam scripturam ita removendam esse:

Nunc si mihi dicat: ego te iubeo neque voto
Intro ire in aedis. „at ego nolo: non eo.“

Exclusus a Phronesio miles non minus obstinato animo quam quo est Terentianus Parmeno in Eunuchi principio, etiam si revocetur ab amica, iturum se esse negat. Quod autem in apodosi non adicitur *tum ego dicam* (at ego nolo) vel tale quid, id quidem ex more comicorum esse ostendi in Trin. 762, ubi et hoc exemplo et Epid. II 2, 65—68 uti poteram. *Voto* non *veto* scripsi, quia in Pall. est *volo*, iidem antea *neque* non *nec* exhibent.

III 1, 14. *Nunc ego istos mundulos urbanos amasios.*

In his ut alii aliter laborantibus numeris succurrere conati sunt, ita Gepperti ratio proxime a vero abesse videtur, a quo exaratum est: *Nunc égo istos mundos, urbanos, amasios.* Verum quum *mundulus* forma exquisitior sit quam ut facile a librario inculcari potuerit, vide an hoc quoque suam habeat probabilitatem: *Iam ego istós urbanos múndulos amásios.*

IV 2, 15. scribo: Din. *Quídni?* Ast. *solus súmmam habēt hic ápud nos, nunc est fúndus nobis.*
Animó bono male rém gerit. Din. *Pereát: perii hercle ego ítidem.*

IV 2, 26 *Dédi equidem hodie ei quinque argenti deferrí minas.*

In his et orationem et numeros misere claudicare apertum est. Et versum quidem Gep. *hocedie* scribendo et syllaba *ei* in spondeum pedem diducenda aliquo modo sustentavit, de insolita structura verbi *dare* cum accus. et infin. nemo editorum laborasse videtur, ita omnes sicco pede eam praeterierunt. Unus, quod sciam, Holtze in Synt. Prisc. Scr. Lat. I. p. 256 „infinitivum more Graecorum de consilio positum esse“ dixit, quam rationem nemo opinor probabit. Quis enim non dico bonorum sed qualiumcunque scriptorum ita locutus est? Nonne orationis insolentia coniuncta cum metrica difficultate satis corruptelam prodit? Sic autem Plautum scripsisse suspicor:

Dédi equidem hodie: iússi ei quinque argénti deferrí minas.

Quoniam autem semel ad grammaticas res devenimus, placet per hanc occasionem insigne in eo genere vitium removere, quod Plauto rudis scilicet et inconditae orationis auctori liberaliter vulgo condonari solet. *Scio* enim verbum, quod ante infimam latinitatem semper cum accusativo et infinitivo iunctum esse constat, tamen semel apud Plautum *quod* coniunctionem secum habere omnes quotquot sunt eius interpretes bona fide crediderunt, vide si tanti est Holtze synt. prisc. script. lat.

I 244. Verum falsissima est ea opinio, verba autem poetae haec sunt: Asin. I 1,37

De. Equidem scio iam, filius quod amet meus
Istanc meretricem e proxumo Philenium.

Colloquens enim facilis pater de filio cum servo, quem viginti minas filio parare iubet quas det amicae, hoc sibi vult: equidem scio iam, quae sit filii amica mei, est enim istaec meretrix e proxumo Philenium. Nam *quod amat* saepissime apud Plautum legi pro *amica alicuius* non esset quod moneremus, nisi in tantam eius rei oblivionem venissent interpretes. Itaque ne quis posthac dubitet *quod* pro relativo pronomine habere, exempla eius usus affero haec:

Cas. II 8, 15. Erit hódie tecum, *quod amas*, clam uxorem: Tace.
III 3, 1 sqq. Stultítia magnast — amatorem ad forum procedere
In eúm diem, quo ei *quod amet* in mundo siet.
Curc. I 1, 29. Ne *id quód ames* populus si *sciat*, tibi sit probro.
32. *Quod amas*, amato testibus praesentibus.
I 2, 46. Te ésse?: Quoniam *id quod amo* careo :: Phaedrome mi, ne plora amabo.
48. Tú me curato ne sitiam: tibi ego *quod amas* iam huc adducam.
I 3, 14. I'psus se excruciat qui homo, *quod amat*, videt nec potitur, dum licet.
Epid. V 1, 46. Tíbi quidem, *quod ames*, domi praestost, fidicina, ope opera mea.
Merc. IV 4, 4. Nam quí amat, *quod amat* sí habet, id habet pro cibo.
Poen. IV 1, 4. Servíre amanti miseriast, praesertim qui *quod amat* caret.
Trin. 242. Nám qui habet, *quod amat*, quom extemplo saviis percussus est,

in quem locum F. V. Fritzschius de Cant. Plaut. spec. I p.4 rectissime animadvertit: *ἔχειν ἑταίραν* Plauto (Merc. IV 4,4) est *habere quod quis amat*, *μὴ ἔχειν* eidem (Poen. IV 1,4) carere quod amat. Simili usu et ratione est Amph. 878 Faciamque ut uno fetu et *quod gravidast viro* et *me quod gravidast* pariat sine doloribus. ib. 501 verum quod erit natum tollito. Truc. II 4, 48 Si, *quod peperissem*, id educarem ac tollerem. Ter. Andr. I 3, 14 *quidquid peperisset*, decreverunt tollere. In Asinariae igitur versiculo si comma post *meus* ponatur, nihil repugnare receptis linguae legibus manifestum est. Nunc revertor ad Truculentum.

IV 2, 28 scribo: *De eó nunc bene sunt tuá virtute.* Din. *Méane ut inimicí mei*
Bóna istic comedant?

Pro *sunt* (sc. Phronesium et Strabax) in libris est *sum*, ut V 16 *possum* in BC pro possunt, *t* autem littera facile periit, quoniam *tua* sequitur; edebatur *sumus*, sed dum illi, quos in proximis inimicos meos' dicit Diniarchus, intus cenant, foras Astaphium servat ne quis intro eat, quare de se dicere non potest. Pro *meane* B *imeme* habet, C *ime*, unde aut *illine* aut *minima* (coniunctum a Bothio satis mirabiliter cum *virtute*) aut *immo* ab editoribus reconcinnatum est, sed *mea* pronomine careri nullo modo potest.

IV 3,11 Din. *'Etiam nunc quid sit negoti falsus incertusque sum,*
Nisi quia timeo tamen. Ancillae. *Ego nec quid peccavi scio.*

Sic posteriorem versum omnes fere et editi et scripti libri exhibent, sed quominus veram et genuinam possim eam scripturam habere, gravissimae me causae impediunt. Nam quo tandem pacto quae ancillae versu abhinc tertio confiteri se coactas esse dixerant, eae h. l. nullius sibi peccati conscias se esse dicere possunt? aut quo modo qui nihil scit quod peccaverit potest dicere *nescio quid peccavi?* quod etiam apud Plautum *nescio quid peccaverim* esse debebat. Neque *nec* particula quid sibi velit satis perspicitur, nisi pro simplici *non* positum esse existumes. Denique quum Diniarchus timere se ait, quid tandem is timeat doceri volumus. Ut brevi praecidam, aut hoc aut simile quiddam a poeta ipso scriptum esse probabile est:

Nísi quia timeó tamen ego, né quod peccaví sciat.

Timet igitur ne Callicles resciverit a se filiae integrae vim esse illatam. In versu qui sequitur non *em, sic: istuc volo* distinguendum, sed coniunctim legendum est: *em, sic istuc volo*, cf. Amph. 307 *sic volo.*

ib. 19 Call. *Iam livorem tute scapulis istoc concinnas tuis.*

Dicit hoc Callicles ancillae alteri, quae proxime dixerat *infitias non eo.* Merito autem viri docti in primis duobus versus vocabulis offenderunt et *nam* pro *iam* recte veteres iam critici reposuerunt, *livorem* autem nemo probabiliter correxit atque est ea vox sine mendo, modo *concinnes* scribas ut sit sententia: recte facis quod infitias non is, *nam si eas* (istoc), tu ipsa tuis scapulis livorem *concinnes* i. e. efficias ut iterum vapules.

ib. 24 in libris est: *Puer ut ferretur.* Syllabam, quae deest ad versum, vulgo sic recuperant: *Puer ut adferretur*, at Plautino mori unum est conveniens *puer ut deferretur*, cf. 25. II 4,57. Mil. Gl. 800. 960. 1049. Epid. II 2,102.

IV 4,6. *Vides eccum, qui amans tutorem med adoptavit bonis.*

Sic nunc Bothium secutus Geppertus, nec improbo eam scripturam, nisi quod *bonis* nomen aegre pronomine suo caret, quo restituto numeri quoque pleniores evadunt: *tutorem suis me adoptavit bonis.*

ib. 9 Scío mecastor, quid velis, quid postules et quid petas.
Mé videre et me te amare postulas: puerum petis.

Sic Gep. haec reconcinnavit, quorum in libris haec species est:
Scio mecastor, quid vis et quid postules et quid petas:
Me videre vis et me te amare postulas, puerum petis.

Atque in priore versu modi variatio recte plerosque offendit, nam etsi non raro apud comicos poetas indicativus et coniunctivus copulantur, semper tamen suam uterque modus habet rationem, at hoc loco membrorum concinnitas eundem requirit modum, sed indicativus sine dubio restituendus est cum Bothio, non coniunctivus cum Gepperto. In altero autem versu tantum abest, ut recte

Geppertus *vis* deleverit ut nullo modo careri possit eo verbo; nam tribus membris quae in priore versu sunt proposita, itidem in posteriore tria verba respondent per asyndeton *(vis, postulas, petis)*, qua re pro *et me te amare postulas* recte Bothius dedit *te amari postulas.*

ib. 22 *'In eam rem si quid habebo, tibi quoque etiam proderit.*

In principio versus quae aperte deest syllaba, nec a Bothio *(si quiddam)* nec a Gepperto *(In eam remoram)* recte suppleta est, Kampmanni autem rationem de praepos. *in* p. 36 *Ob eam rem si quid ego habebo* scribentis propter sententiam probare nequeo. Et numeris et sententiae hac emendatione lenissima consulueris: In *meam* rem si quid habebo ctt. Jam antea enim dixerat meretrix *in suam rem esse*, puerum aliquot dies apud se relinqui.

V 25 Sed eccam video heus amicam quid agis mille quis illic homo est.

Sic BC, nisi quod *est* extremo versu abest a C. Ne longus sim aliorum tentaminibus refutandis, sic haec ad integritatem revocanda videntur:

Strab. *Séd eccam video amicam. heus, quid agis, mulier?* Stratoph. *Quis illic est homo?*

cf. 34 abstine hoc, *mulier*, manum; IV 4, 7 *mulier*, ad te sum profectus.

Haec erant quae in praesentia in promptu habebam. Consulto autem abstinui ab impeditissimis extremae fabulae locis, in quibus nec sine longis disputationum ambagibus quicquam profici potest et ultra quandam probabilitatis speciem vix progredi posse videbar. De his igitur Tui ingenii felicitatem ego iuxta cum ceteris expecto. Vale Scribebam mense Februario anni *MDCCCLXVIII Lignitii.*

Schul-Nachrichten

über

den Zeitraum von Ostern 1867 bis dahin 1868.

I. Allgemeine Lehrverfassung *)

PRIMA. Ordinarius: Der Director.

Religion. 2 St. Lesung und Erklärung der Apostelgeschichte. Kirchengeschichte bis 325 n. Chr. Glaubenslehre. Oberlehrer Dr. *Kraffert.*

